Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1897
Quelle:
Copyright:

en ipsissimam Epistolam latine versam inter *Calvinianas* edit. *Genev.* 1576. p. 65. f. ubi *Protectori Angliae* inscripta data dicitur anno MDXLVI. pro quo fortasse reponendum XLVII. cum hoc primum anno mense *Jan. Henricus* VIII. obierit. *Foll.* 6.

VII. *Consultatio de Conjugio Sacerdotum.* Initium: *Quęstio de coniugio sacerdotum tribus partibus constat. Prima est de maritis ad sacrum ministerium eligendis: ita ut etiam suscepto ordine in coniugali officio maneant. Altera de coniugio permittendo iis, qui cęlibes ordinati sunt. Tertia de iis, qui recepto iam per occiduas ecclesias more, uoto tacito uel expresso, priusquam initiarentur, ad continentiam se obstrinxerunt.* &c. Expensis in utramque partem, non sine conspicua ecclesiasticae Antiquitatis notitia et Scriptorum usu, momentis concludit sub finem Noster: *Quare ut in permittendo sacerdotibus coniugio aliquid incommodi sit, tamen comparatione maioris mali et periculi, quod manifesto ex negato coniugio existere videmus, boni rationem induit.* Argumenta ejus multoties hodie repeti videas ab iis, qui omni ope Clerum uxoribus beare nituntur. Citantur *Erasmus*, Card. *Campegius*, et *Pighius*, unde Autorem suspicor *Ge. Cassandrum*, qui his omnibus superfuit, vel *Ge. Wicelium. Foll.* 16.

VIII. *Martini Buceri* Responsum datum quibusdam interrogantibus *de communicatione* (commutatione?) *vulgarium cæremoniarum. Argentorati.* 14. *Junij. Anno 1544.* Initium: *Gratiam et pacem a domino nostro Jesu Christo, fratres obseruandi et dulcissimi. Literas Vestras pietate in dominum et benevolentia erga nos plenas exhibuerunt nobis fratres optatissimi N. et N.* De illorum Quaestione ita: *Haud scio an ulla alia sit, de qua respondeam magis grauatim, adeo inexplicabilis est et conscientiarum in fratribus et corruptelarum in cæremonijs illis varietas.* Addere poterat et animum suum inconstantem. Itaque in generali quadam cohortatione sistit. *Foll.* 3.

IX. *Ratio doctrinæ in ecclesia Embdensi de re Sacramentaria Nordæ pro concione exposita, et quid controversia rei Sacramentariæ inter doctos in se contineat. Johannis a Lasco.* De vagabundo hoc *Zwinglii* partibus addicto *Polono* relata sunt quaedam *Cod.* DXCVI. et alibi. Scriptum praesens memoratur in *Lex. Univ.* vernac. T. XVI. ubi etiam fontes ad Autoris vitam prostant. Incipit: *Cum non ita pridem ministerium meum, quod ad curam ecclesiarum attinet, deposuissem, caussasque consilij huius mei Principi nostræ* (Annae Oldenburg.) *et omnibus consiliarijs exposuissem* &c. Caussas has refert in *intractabilia ministrorum multorum ingenia, qui et doctrinis perturbarent ecclesias, et vitæ insolentia ministerium suum, adeoque Evangelij causam infamarent*, quorum *alii Lutherum*